

pervicaces non sunt, perpensis omnibus & singulis verbis agnoscere persuasum habemus; nam qui rebelles lumini veritatis pervicaces in defendendo errore ac heresi, quam profitentur, his nihil rectum esse, quod eorum heresi adversatur, etiam ex continua contradictione & pervicacia perspectum habemus. Scio, Illustrissime BOSSVETE, Te ipsum nec in Bulla Papali, quam Libello Tuo Innocentius XI. præfixit, nec in calculis, quos in Italia, Gallia & Germania, purpurati quidam & infulati fautores tui adjecerunt, tantum roboris quærere aut invenire, ut contra nos divinam Papisticarum traditionum originem domestico hoc testimonio probare ausis; tantum abest, ut conscientia ipsamet nostra hoc modo sit convicta, nosque nolentes volentes ad agnoscendam illarum divinitatem impellat. Interim his opus habebat phaleris, quibus splendorem & robur, & decus, saltem in speciem, sententiæ suæ conciliaret. In hac verò verborum turba, ut cum Gellio (r) loquar, magnitudine inani vastâ, quomodo locum invenisset ἀκριβεια, debitè disponens nervoseque explicans calamo, quicquid animo accuratè conceptum fuerit? Sed enim, inquit ille, (s) videas quosdam sic scatere verbis sine ullo iudicii negotio cum securitate multa & profunda, ut loquentes plerumque videantur loqui sese nescire. Brevius, sed plenius apud Stobæum (t) Apollonius: Πολυλογία πολλά σφάλματα ἔχει; Planè ad mentem SPIRITUS S.: (u) In multiloquio non deerit peccatum. Talia verò παραπτώματα cum

---

B

apud

(r) Noët. Attic. L. I. cap. 15.

(s) Ibid.

(t) Serm. 36. n. 133.

(u) Proverb. X. 19. כַּרֵב וְכַרֵּיִם, Luther. Wo viel Worte sind.